

quotidianis : succurre mihi obsecro. » Rege vero interrogante, quisnam esset hic exactor, respondit : « Venter hic meus est quotidie cibum exigens : nec tamen a me obtinens ; cum non habeam quod dem. » Delectatus hominis ingenio rex non dimisit in donatum, apud Corozett. in dictis et factis memorab. Non vexantur jam a famelico stomacho animæ purgantes, urgentur tamen a divina iustitia, quæ poenas adhuc exigat a non expiatis. Lytrum igitur expetunt, quo redimant se ab illo severo exactore, qui non dabit eis pacem, sed continuo poenis addit, donec se exsolvant. Videant igitur imprimis propinqui defunctorum, ut defunctis suis, fame non panis aut ciborum, sed piorum operum, quibus redimantur ab exactore illo, oppressis liberaliter succurrant. Contingit animabus illis, quod moniali illi, in vita S. Remberti, episc. Bremensis, quæ non procul a Sleswico capta et abducta a barbaris atque inter alios captivos catenis constricta, proposita in foro venalis, visa est a S. Remberto illic transeunte. Quæ cum agnovisset eum virum esse sacerdotalem, adeoque Christianum, motu corporis ad venerationem composito, jam genuflectendo, jam caput crebro inclinando, honorem illi exhibuit, quasi misericordiam eminens implorare, simulque testimonium fidei et religionis suæ dare volens, voce altius sublata psalmos sicut choro consueverat, cantare cœpit. Eam ob rem motus commiseratione episc. sanctus, preces ad Deum pro ea fudit, moxque catenarum vincula non sine barbarorum ingenti admiratione dirupta de collo ejus ceciderunt. Non potuit tamen hoc miraculum puellam a manibus barbarorum liberare. Quare complura diversi generis pretia episcopus pro ea obtulit : quibus omnibus repudiatis, equum ejus pro redemptione postularunt, quem ille lubens et gaudens cum omnibus ornamentis repente desiliens tradidit, virginemque eo pacto e captivitate redemit, ac liberam qua vellet ire, dimisit. Hujusmodi captivæ sunt animæ purgantes, sponsæ alioquin Deo dictæ et dilectæ. Cæterum quia ob reatum poenæ premuntur adhuc vinculis purgatorii vindicis, supplices ad nos manus tendunt, nobis genua flectunt, inclinant capita et cantant flebile illud : *Miseremini mei saltem, vos amici mei.* Quomodo igitur non tangimur commiseratione maxima, ut illas redimamus et lytrum Deo vindicis pro illis exsolvamus ? Quomodo non equum corporis nostri pro illis offerimus castigando jejuniis, disciplinis, vigiliis, ciliciis ? Ac siquidem hoc difficile nobis videtur, offeramus pro eis saltem devotas preces ; et si prælongas ægre damus, depromamus saltem nummum

unum e bursa oris nostri et dicamus illud : *Requiescant in pace.* Profuisse sane hanc quantumvis breviusculam appreciationem animabus illis ostendit factum religiosi cujusdam Paderbornensis, e cœnobio SS. Petri et Pauli ordinis Cluniacensis, qui quoties per cœmeterium ad sacram ædem transiret, recordatus animarum in purgatorio detentarum, orationem pro eis fundebat, quam dum aliquando ibidem pertransiens finisset hac clausula : *Requiescant in pace,* moxque audivit manifeste multitudinis turbam respondentem : *Amen, Amen.* Perceptaque hac voce totus intremuit, et has voces esse animarum, pro quibus orabat putans, tam contiguas sibi visibiliter esse miratus, expavit, bonæque consuetudinis usum quem devote eatenus servaverat, tanto deinceps propensiori diligentia prosecutus est, quanto deinceps devotionis suæ obsequium acceptabile Deo, fidelibusque animabus gratum et fructuosum existere tam inusitati miraculi novitate lætus agnovit ! Ita refert l. de viris illustr. ord. Cisterc.

Quando igitur et nos hoc fini ad cœmeterium istud convenimus, ut defunctum N. hic pio et christiano ritu terræ commendemus, non dimittamus eum ad alteram vitam sine comœtu et spirituali subsidio ; ac siquidem nunc aliud, quod offeramus non occurrit, depromamus saltem e corde et ore nostro minutum illud, dicamusque toto cordis affectu : *Requiescant in pace*

CONCIO XI.

QUA RATIONE CORPORA PIORUM IN PACE SEPULTA SINT.

THEMA.

Corpora ipsorum in pace sepulta sunt. Eccl. XLIV.

Communis quidem omnibus est mors, tam piis quam impiis, quia statutum est hominibus *semel mori*, ad Hebr. IX. Non est tamen utrorumque par conditio. De improbis enim dicitur Job, c. XXXVI. *Morietur in tempestate* (Hebr. *naghor*, h. e. *in excussione*) *anima eorum*, q. d. morientur sine pace, sine honore et quidem anima et corpore. De piis vero dicitur Eccl. XLIV. *Corpora ipsorum in pace sepulta sunt*, q. d. non solum ipsorum animæ requiescunt in sancta pace, sed etiam corpora in pace sunt sepulta. Quinam vero potissimum isti sint, exponit paulo superius his verbis : *Illi viri misericordes sunt, quorum pietates non defuerunt.* Viri ergo pii et præsertim qui erga pauperes pietatem quasi paternam os en

derunt, in pace sepulti sunt. Vel ut ait S. Bernard. serm. III. de SS. Petro et Paulo : « Sunt hi plane viri misericordes, sive quia misericordiam consecuti, sive quia misericordia pleni, sive quia misericorditer nobis a Deo nati sint. » Non est parvi æstimandum hoc Dei beneficium ; quinimo indicium est non leve, talium animas in sancta pace profectas esse. Jam vero disquiramus, qua ratione ipsi in pace sepulti possint dici et haberi.

I. Si non violenta, sed naturali et placida morte obierunt ; quod communiter viris piis et justis contingit : impii et scelerati vel plectuntur judicium sententia, uti Jacob, de quo mandavit David Salomoni filio : *Non deduces canitiem ejus pacifice ad inferos*, III. Reg. II. propter homicidia videlicet patrata, ob quæ et interfectus est in ipso Domini tabernaculo. Vel divina ultione, cuius quam plurima et quotidiana fere sunt exempla ; et fuere etiam apud gentiles, quia propterea numinis vindictam statim conjectabant e dirromorientium genere. Unde cum vipera Paulum invasisset in insula Melite, mox dicebant barbari : *Utique homicida est homo hic, qui cum evaserit de mari, ultio non sinit eum vivere*, Ac. XXVIII. Asserit etiam Scriptura, Ps. LIV. *Viri sanguinum non dimidiabunt dies suos.* Et Matth. XXVI. *Qui gladium accipiunt gladio peribunt.* Scimus et contra Cain clamasse sanguinem fratris ejus de terra, Gen. IV. Unde et Plutarchus, homo gentilis scripsit librum de sera numinis vindicta, quam demonstrat exemplis plurimis et fere admirandis. Verum hoc universale non est, in quo errarunt Melitenses illi et gentiles. Scimus enim martyres imprimis licet innocentissimos variis in tormentis pro Christo occubuisse ; scimus etiam aliquos ob levia peccata morte vel subita vel acerbiorè punitos, ut hac ratione illa expiarent, uti prophetam illum bonum, qui ob transgressionem non magnam a leone occisus est, III. Regum XIII. et Mosen abbatem, qui ob levem etiam culpam a dæmone obsessus fuit, apud Cassianum collat. VII. cap. XXVII. Ozam quoque ob contactum aræ incautum subita morte plexum, II. Reg. VI. et alias sæpe malis hominibus prospera, bonis adversa contingere, ex certa Dei providentia. Quare si quis diuturnis et acerbis doloribus cum morte prius luctati sunt, antequam morerentur non inde mox judicandi sunt ; quasi id malæ mortis omen esset : uti nec semper pie et sanete obeunt, qui placida morte obeunt. Solum ergo hoc dicimus, in Dei beneficiis repouendum, cum quis naturali et pacata morte defungitur, et non ob scelus aliquod dira morte plectitur. Laudamus igitur Deum et gratulamur

defunctis nostris propinquis, amicis et confratribus, quod non infami, non subitanea, non crudeli fine vitam terminarint, adeoque in pace sepulti sint.

II. Si pleni dierum et vitæ saturi in bona senectute hinc emigrarunt ; quod beneficium promisit Deus Abraham Gen. XV. dicens : *Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona*, h. e. profecta, annorum scilicet 175. Quemadmodum enim spicæ, cum plenæ et maturæ sunt, ad terram se sponte inclinant, et falcem curvcentes expectant, poma etiam matura partim ramos suos ad terram deprimunt, ut decerpi possint, vel ultro ex arbore decidunt, quia dies suos impleverunt : ita qui ad multam senectutem provexere vitam, libenter et pacate ad alteram et quietem migrant, quasi tædio hujus vitæ tam ærumnosæ et calamitosæ, qualis præcipue senum est. Atque hac ratione *mortuus est Abraham, in senectute bona profectæque ætatis et plenus dierum*, ut dicitur Genes. XXV. *In senectute bona*, sive ætatem spectes, sive gratiam : ætatem, quia decrepatus et sine ægritudine : gratiam, plenus bonis operibus decessit : quæ est optima plenitudo et vera opulentia, de qua Philo Judæus I. qui diu rerum sit hæres, scribit : « Recte dixit propheta quidam : malle se unam diem cum virtute vivere, quam mille annos in umbra mortis ; » scilicet in peccato et vita mala. Ad hanc pacem aspirabat etiam Sanctus Simeon, qua tandem adventante canebat instar cyeni suaviter : *Nunc dimittis*, Græce solvis, *servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace*, Luc. II. In quem textum S. Ambrosius, l. de bono mortis, c. II. ait : « Quasi necessitate quadam teneretur in hac vita, non voluntate ; ita dimitti petit, quasi e vinculis quibusdam ad libertatem festinaret. » Quia gnoscent hunc mundum esse carcerem cum gaudio hinc abeunt ; qui mundum sibi delegerunt pro patria, inviti discedunt. Unde S. Augustinus, tract. IX. in epist. Joannis : « Sunt homines, inquit, qui cum patientia (dolore) moriuntur ; sunt homines, qui cum patientia (dolore) vivunt. Qui adhuc desiderat vitam istam, quando illi venerit dies mortis, patienter (cum dolore scilicet) tolerat mortem ; qui autem desiderat dissolvi et esse cum Christo, non patienter (id est cum dolore) moritur, sed patienter vivit, delectabiliter moritur. » Porro si antiqui ss. patres desiderarunt absolvi vinculis carnis, tædio prælongæ dumtaxat et ærumnosæ hujus vitæ, tametsi ad limbi tenebras, cælo adhuc clauso, pergendum eis esset, quanto magis gratulandum illis, qui confecta jam ætate et reserato cælo ex hoc carcere dimittuntur.

III. Si pace cum Deo, hæredibus et hominibus bene composita mortui sunt, in pace utique requiescunt. Qui in taberna commoratus comedit et bibit, si priusquam discedat, hospiti symbolam persolvit, is cum pace et bona hospitis gratia abit; sin minus, ad rationes cum hospite componendas retrahetur. Pari modo qui in hoc mundo, magno Dei hospicio, contracta sorte, debita persolvit Deo, eumque sibi conciliavit, utique cum pace hinc emigrare poterit; præsertim si et ipsum cum Simeone illo sene, in ulnas suas per s. communionem suscepit et dissuaviavit. Tunc enim cum sene illo dicere poterit: *Nunc dimittis Domine servum tuum in pace.* Gentiles Romani existimantes defunctorum spiritus a Charonte Stygionautaperflumen ad campos Elysios devehendos esse ne autem ob vecturam lis eis cum vectore esset, nummum argenteum pro naulo, Charonti dando in demortui os reponebant; Christianorum naulum, quod exhibere custodi angelo, qui eos ad cælum pervehat, debeat, est sancta eucharistia, ante obitum sumenda; cum eam sumere et habere infirmus potest, et tunc in pace ad superos commigrabit, nec erit quod litigandum ei sit cum vectore angelo, aut iudice Deo. Deinde si cum omnibus hominibus, quantum per ipsos stetit, pacem habuerunt, aut inierunt, dum adhuc spirarent, uti præcepit apostolus ad Roman. XII. *Si fieri potest pacem habentes cum omnibus hominibus.* Quo spectat illud Christi monitum Matth. V. *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius iudici, etc.* Quod explicans S. Hieronymus ait: « Esto consentiens, benevolus, et benignus tuo adversario, dum es cum illo in via huius sæculi: ne forte si id non feceris, tradat te iudici Deo, et in tartarum mittaris. » Quod sane eventurum illis qui nolunt reconciliari inimicis suis, vaticinatur Ezechiel, cap. XXXII. *Descenderunt, inquit, ad infernum cum armis suis et (h. s. quia) posuerunt gladios suos sub capitibus suis, q. d. quia semper vindictam meditabantur, et redire in gratiam cum inimicis noluerunt, ideo sine pace, imò cum ramis et hostilitate sua descenderunt ad instar Pharaonis sanguinem sitiens, in profundum inferni.*

Denique, cum hæredibus etiam prius, quam morerentur, ita convenerunt sive per testamentum, sive per amicam compositionem, ita ut non reliquerint post se sementem turbarum et contentionum inter hæredes. Alioquin illæ dissensiones redundarent etiam in defunctum, ut in altero sæculo pacem non haberet, qui pacem inter filios et nepotes componere neglexit. Ideo enim mandatum Ezechie regi a Deo per Isaiam,

IV. Reg. XX. *Præcipe domui tuæ, quia morieris tu, q. d. manda ut ne fiant dissidia inter hæredes, dividendo inter eos hæreditatem tuam dum vivis; potes enim pacem eis relinquere.* Sic enim et Christus Dominus abiturus ad mortem quasi testamento facto commendavit pacem discipulis suis: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis,* Joan. XIV. Composita hac ratione cum Deo hæredibus et inimicis pace quomodo defunctus non requiescat, qui neminem habet adversantem, qui litem ipsi moveat?

IV. Si honesta sepultura, atque imprimis patrum suorum terræ commendati, et non eieci vel ut ait Scriptura, sepultura asini sepulti sunt. Est enim et hoc signum alicujus benedictionis cælestis, et beneficium Dei. Hanc pacem et sepulture honestatem petit Job, Gen. XLIX. *Sepelitem cum patribus meis in spelunca duplici.* Similiter et Joseph, Gen. L. Hinc orta frequens illa Scripturæ phrasid: *Congregatus vel appositus est ad patres suos.* Causa est, qui signum alicujus supplicii aut maledictionis erat privari sepulcro paterno, vel ejici insepultum, et sepeliri sepultura asini, uti Joakim regi Jeremias prædixit, c. XXII. *Sepultura asini sepelietur.* Et regi Achab Elias: *Si mortuus fuerit Achab in civitate, comedent eum volucres cæli,* III. Reg. XXI. Idem contigit Absaloni perduelli Davidis filio, qui exeraxerat sibi cum adhuc viveret titulum, qui est in valle regis. Dixerat enim: *Non habebō filium, et hoc erit monumentum nominis mei.* Sed non est gavisus opere suo; projectus enim est in saltu in foveam grandem et comportaverunt super eam acervum lapidum magnum nimis, II. Reg. XVIII. Pro pena etiam dictum est prophetæ illi: *Quia non obediens fuisti ori Domini, etc. non inferretur cadaver tuum in sepulcrum patrum tuorum,* III. Reg. XIII. Cum ergo indicium aliquod divinæ animadversionis sit privari sepulcro paterno aut honesto alio tumulto præjudicium integritatis et vitæ bene peractæ parit sepultura honorifica et maxime inter majores suos: quorum degeneres filii non fuerint, qui cum iis requiescunt.

V. Si laudabilem sui memoriam posteris reliquerunt. Est enim et hoc indicium aliquod, fuisse viros virtutis et eximie sanctitatis; qualis fuit rex Josias, de quo dicitur Eccl. XLIX. *Memoria Josie in compositionem odoris facta opus pigmentarii.* In omni re quasi mei dulcorabitur ejus memoria, ut musica in convivio vini. Mel a putredine conservat corpora mortuorum, teste Plinio, I. XXII. cap. XXIV. *Mellis, inquit, natura talis est, ut putrescere non sinat corpora.* Musica etiam convivas exhilarat: sic piorum vita sancta non sinit

interire memoriam eorum sed quasi immortales in ore hominum conservat, ut post mortem adhuc vivant: eaque memoria posteros recreat velut suavis musica, et ut dulce mel palatum. Ita vixit post mortem, sparsitque odorem suavem Tabitha illa Act. IX. *Cujus mortem planxerunt viduæ pauperes et ostenderunt S. Petro tunicas et vestes, quas illis fecerat Tabitha.* De qua S. Chrysostomus, hom. XXX. in Gen. scribit: *Si memoriam quæris, si veram gloriam amas, hanc imitare, tales domos extrue.* Multo sapidiore et suavior, multoque constantior est memoria bonorum operum quam splendorum ædificiorum, in quibus filii huius sæculi memoriam sui frustra quærent. Ergo in pace sepulta sunt ossa sanctorum virorum, quia nemo facile auditur, qui labem eis aspergere maledicto audeat, sed in ore omnium laus ipsorum viget, juxta id Proverb. X. *Memoria justi cum laudibus.* E contra addit: *Nomen impiorum putrescet.* Cujusmodi erat imprimis Absalon, cujus ossibus sub acervo lapidum sepultis maledicunt usque hodie pagani et peregrini atque execrantur hac voce: *Maledictus sit parricida Absalon, et quicumque injuste parentes suos persequuntur, maledicti sint in æternum,* uti refert Adricomius, in descript. terræ s. num. CCXXVII. Talis impius ille Antiochus, flagellum Hebræorum, qui a vermibus undique corrosus tantum exhaluit fetorem, ut ferri in castris non posset: de quo et prædixit Mathathias I. Macch. II. *A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus et vermis est.*

VI. Denique si in expectatione et spe bona gloriosæ resurrectionis et futuræ beatitudinis dormiant in sepulcris. Hoc sensu de illis dicitur Sap. III. *Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis.* Et mox: *Illi autem in pace sunt.* Si enim in manu Dei sunt, utique et in pace sunt quia ab ira venturi iudicis nihil sibi metuunt. Quemadmodum ergo S. Petrus vincus in carcere quando jam producendus erat ad capitale supplicium, inter duos milites suaviter dormivit, quia norat se in manu Dei esse, Act. XII. ita et justorum corpora inter ipsos vermes in sepulcro quasi dormiunt magna pace, quia in Dei manu sunt, juxta id Psal. III. *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.* Omnia enim restituenda et reformanda sunt. Securo et intrepido animo expectavit Joseph septem annos sterilitatis, quia sibi et regi suo jam providerat de annona in venturos septem infrugiferos annos: ita pariter justis magna cum pace et quiete expectant diem iudicii, in quo unice requiruntur bonorum operum fruges, de quibus ipsi jam egregie sibi provide-

runt. Sola impiorum ossa pacem non habent, quia pro sterili illo die sibi nihil compararunt. In quorum persona ait David, Psal. XXXVII. *Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.* Quomodo enim pax fit reo in carcere detento, qui novit se aliquando ad tremendum iudicium ac supplicium producendum? Quoniam vero defunctus noster omnium sententia talem vitam duxit, ut de ejus salute merito dubitare non possimus, atque imprimis cum adhuc viveret pacem cum Deo, hæredibus omnibusque hominibus sancivit, dicere de ipso licebit: *Corpus ipsius in pace sepultum esse.* Quod si tamen adhuc rigidus ille hospes, Rhadamanthus et exactor justitiæ levia aliquot debita ab ipso requireret, nostrum erit pro ipso preces interponere; ut leviores illas noxas, quibus eluendis forsitan adhuc obnoxius est, ipsi condonare dignetur.

CONCIO XII.

COMMENDATUR SEPULTURA CHRISTIANA.

THEMA.

Secundum iudicium contege corpus illius, et non despicias sepulturam illius. Eccl. XXXVIII.

Non idem omnium gentium fuit iudicium circa defunctos, quid cum illis agendum, et quorsum deponendi essent. Quædam enim barbaræ nationes abjicienda illorum cadavera, corvis et lupis devoranda, bruto sane iudicio censebant, uti Hyrcani, Caspii, Bactriani, quod cum Nicanor Alexandri præfectus emendare voluisset, pene amisit provinciam, ut scribit S. Hieronymus contra Jovin. cap. XXXVI. Aliæ ut Seythæ, mortuos suos inter epulas devorabant, apud Rhodigin. I. IX. c. XLIII. Aliæ ut Romani, extra urbem comburebant. Nimis inhumani, et crudeles hic fuerunt. Saniore iudicio usæ sunt aliæ cultiores nationes, uti Athenienses et Macedones, qui suos inhumabant et magno quidem studio atque honestate. Maxime vero solemne et cordi fuit Hebræis, ut Rhodiginus loco citato ait, lege cautum erat, ne insepultum relinquerent. Quo de pietatis officio celebrantur Abraham, Jacob, Joseph, Tobias, Nicodemus et Joseph ab Arimathea. Nec immerito; siquidem ea pietas et miseratio humanis pectoribus a natura videtur insita. Quare Christianis semper ea cura fuit, ut fratres et sorores suas debito cum honore terræ velut matri, e qua formati fuere, mandarent. Cujus honestatis causas aliquot investigabimus.

I. Quia corpus est pars hominis intrinseca, quæ charior ipsi fuit et præstantior quam omnia bona exteriora. Quare si externa illa bona a propinquis nobis relicta in honore habemus, cur non eorundem corpora? Hanc rationem affert S. Augustinus, l. I. de civit. Dei, c. XIII. « Si enim, inquit, paterna vestis et annulus, ac si quid ejusmodi tanto charius est posteris, quanto erga parentes major affectus: nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ utique multo familiarius et conjunctius, quam quælibet indumenta gestantes. Hæc enim non ad ornamentum nec adiutorium, quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent. » Certe Naboth vineam a majoribus suis sibi relictam tanto in pretio habuit, ut sanguinem potius fundere mallet, quam eam alienaret, III. Reg. XXI. Et Samaritana illa cum suis civibus tantum æstimavit puteum a patriarcha Jacob sibi relictum, ut ejusquam omnibus aliis præferret aquis, Joann. IV. Si igitur externa ista habemus in honore, quia a charis majoribus accepimus, cur non magis eorundem corpora ipsis charissima et conjunctissima? Brutorum quidem cadavera nulla injuria exponimus feris et volucris: quia ipsis non erant meliora; ad hominem omnium brutorum et totius terræ dominum ejicere in fimum, ut faciebant Sabæi, vel in mare ut canum, corvorum, et piscium præda fiant, indignum est et barbarum. Unde Origines, l. V. et VIII. contra Celsum ait: *Rationalem animam honorare didicimus, et hujus organa sepulcro honorifice demandare. Quare instar supplicii grave semper habitum fuit, sepultura privari. Patet in Jeroboamo, de quo quia idola coluerat ait Dominus, III. Reg. XIV. Qui mortui fuerint de Jeroboam in civitate, comedentur canes: cui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eum aves cæli.* Ejici vero e sepulcro ossa mortuorum maximæ Dei iræ signum fuit, Jerem. VIII. Denique exclusi sepulcri beneficio dicebantur sepultura asini esse sepulti, Jer. III. Neque dicas terram etiam minus honestum esse conditorium cadaverum humanorum, cum ea sit mater nostra, e qua prodimus in hunc mundum; quid mirum si et ipsa in uterum suum recipiat filios suos? Sane Cyrus Persar. rex noluit in auro et argento sepeliri, in terra potius elegit. *Quid enim, aiebat, beatius, quam terræ misceri, quæ pulchra et bona omnia progignit?* apud Xenoph. in Cyropæd.

II. Quia corpora fidelium sunt templa Spiritus s. et organa, per quæ operatur in nobis Christus omne bonum. Hanc etiam rationem adfert S. August. loc. cit. « Non sunt spernenda defunctorum corpora, ait, maximeque justorum ac fide-

lium, quibus tamquam organis et vasis ad omnia bona opera Spiritus s. usus est. » Scimus enim apost. scribere, Cor. VI. *Nescitis, quia corpora vestra membra sunt Christi.* Et rursum: *An nescitis, quoniam membra vestra templa sunt Spiritus s. qui in vobis est?* Magno sane in honore conservari voluit Deus ædiculam, in qua Christus cum sanctissima sua matre habitavit, et per angelos in sacratoria loca deferri, uti adhuc visitur Laurenti. Cur non et corpora fidelium honoratiore loco reponantur, in quibus habitavit Spiritus s. et ipse Christus toties ad ea digressus in s. eucharistia? Præsertim cum ea suo tempore resuscitanda gloria et decore vestienda cœloque inserenda sint? Hinc semper Christiani summa contentione sanctorum corpora suis manibus inhumare studuerunt, etiam cum præsentissimo mortis periculo. Inter quos Eutychianus Pp. hoc officium pietatis sedulo exercuisse traditur in martyrol. die 8. dec. ita ut manu propria sepelierit trecentos quadraginta duos martyres. Quin et bruta animantia Dei jussu quandoque terram sepeliendis sanctorum corporibus eruerunt, uti leones duo S. Paulo eremitæ, apud S. Hieron. in ejus vita; rursus alii duo in vita S. Paphnutii, ut corpus S. Onuphrii; alii ut corpus S. Egyptiacæ sepeliretur a Zozimo, in ejus vita. Aliorum sanctorum corpora et ossa ab ipsis prædicatoribus feris miraculose custodita fuere, donec honeste traderentur sepulturæ, uti Stanislai episcopi et martyris a canibus, S. Luciani martyris corpus delphinus ex aquis extulit, quo sepeliri honeste posset. Imo et creaturæ sensu carentes viris sanctis sepulcrum exhibuerunt. Saxum S. Jacobi apostoli corpus excepit, in sepulcri speciem se formans. S. Clementi papæ et mart. sepulcrum in ipso mari mirabiliter in templi formam præparatum, atque ut adiri possit, mare ad tria miliaria recessit. Quæ omnia demonstrant etiam ipsi Deo curam esse de inhumandis piorum ossibus.

III. Quia per hoc astruitur fides resurrectionis et imprimatur viventibus uti docet S. Thomas, in IV. dist. XLIII. q. IV. art. III. ad III. *Sepultura, inquit, spiritualiter prodest vivis in quantum per hoc astruitur resurrectionis fides.* Semini corpora nostra comparat apost. IV. Cor. XIII. *Seminatur, inquit, corpus in ignobilitate, surget in gloria, quemadmodum videlicet vile et abjectum semen, missum in agrum ibique mortuum, prodit in elegantem spicam. Projice semen in aquam, ignem, ventum, nequaquam germinabit: projice in terram, et videbis anno sequente prodisse quasi a morte ad vitam, et evasisse in spicam. Sic fiet cum corporibus justorum. Recte igitur*

in terram et sepulcrum quasi in agrum deponuntur. Qui vestem suam adeo attrivit et laceravit, ut exutam abjiciat in ignem, aut flumen, hoc ipso declarat se eam deseruisse nec unquam recepturum. At qui vestem suam, quam v. g. nuptiarum die gestavit, vespere recondit in scrinio suo et sedulo asservat, eo ipso indicat se eam corpori suo rursus aptaturum, et cum gloria proditurum.

Itaque abjecerint gentiles corpora mortuorum in ignem, sterquilina et flumina; quia fidem resurrectionis non habuerunt. Nos Christiani, qui certa fide eam credimus, ossa nostra in terram recondimus; ubi licet semina putrefacta majori cum splendore progerminabunt, ac demum in horreum cœlestis inferentur. Quam ob causam sepulturæ locum appellamus nos Germani, agrum Dei, Græci vero cœmeterium, h. e. *dormitorium* quia mors nobis somnus est. Atque hinc orta est antiqua illa consuetudo, quia fideles defunctorum suorum corpora, antequam sepulcro inferrent, prius lavabant, uti scribit S. Gregor. hom. XXXVIII. et l. III. dial. c. VII. Deinde mundo linteo involvebant, manus in crucis formam componebant, floribus conspergebant et corollis ornabant, denique erectis magnificis epitaphiis honorabant. Sub Honorio imp. in sepulcro Zachariæ prophetæ, juxta ipsum inventus est puer, de quo Sozomenus, l. IX. c. ult. ita scribit: *Jacebat puer regali apparatu sepultus, habebat enim in capite auream et aurea in pedibus calcamenta, et vestem pretiosam.* Quæ omnia si videret gentilis et interrogaret, quid sibi vellent, responderent illico id apost. ad Phil. III. *Quia Salvatorem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Atque ita præveniunt fideles ornare suos defunctos ante diem resurrectionis, quod sperent eos ad gloriam cum ornatu splendidissimo resuscitandos: quomodo Magdalena prævenit ungere Christum ante mortem ipsius: quod ipse Dominus testatur. Quemadmodum etiam Ecclesia in pervigilio paschæ anticipat lætitiâ resurrectionis Salvatoris, intonando Alleluia, pulsando omnes campanas, accendendo cereos et lampades, aperiendo et ornando altaria: quod certa spe expectet brevi resurrectionem, tametsi adhuc in sepulcro jaceat: ita agunt et fideles cum defunctis suis, de quorum salute bene sperant.

IV. Quin hæc sepultura facit ad meritum viventium, qui eos terra operiunt. Esse enim id opus bonum Deoque placitum, patet ex studio Tobie, cui tantopere vacabat in sepeliendis mortuis, ut relicta etiam mensa et convivisurgeret et conquireret in civitate, qui insepulti projecti

erant Judæi. Id enim laudat angelus Tob. XII. tamquam Deo gratum et confirmat S. August. l. de cura pro mort. c. III. ubi ait: « Tobias sepeliendo mortuos, Deum promeruisse, teste angelo commendatur. Idem fecit David commendando viros Jabes Galaad, II. Reg. II. *Benedicti vos a Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul et sepelistis eum.* Denique ipsemet Christus Dominus probavit factum Magdalene, quæ unguentum pretiosum in caput ejus effuderat, Matth. XXVI. *Opus bonum operata est in me, inquit, mittens enim unguentum hoc ad sepeliendum me fecit.* Taceo discipulos Joan. Bapt. qui sepelierunt magistrum suum, Matth. XIV. Joseph. Nicodemum qui Christum, Matth. XXVI. Illud sane non tacendum, quod in regibus etiam hæc pietas deprehensa sit. Etenim Alphonsus rex Aragonum repertum in littore maris Christiani Genuensis cadaver, mox una cum suis sepulturæ commendavit, teste Panor. l. I. de reb. ejus gestis. Nimirum ut ait S. Ambros. de Tob. c. I. « Magnum hoc opus. Si viventes operire nudos præcipimur, quanto magis debemus operire defunctorum corpora? Si viantes ad longiora deducere solemus, quanto magis in illam æternam domum profectos, unde jam non revertentur? Nihil hoc officio præstantius ei conferre, qui tibi jam non potuit reddere, vindicare a volatilibus, vindicare a bestiis consortem naturæ. Feræ hanc humanitatem defunctis corporibus dedisse produntur, homines denegabunt? » Sic Amb. cujus postremam sententiam confirmant in primis quæ supra de leonibus attulimus exempla; confirmant formicæ, quæ, ut (apud Hieron. in vita) narrat Malchus monach. se vidisse, mortuos suis humeris efferunt, et si aliqua sub pondere collabatur, alia succollat. Confirmant delphini, qui, ut refert auctor, l. de nat. anim. mortuo aliquo consorte, circumstant ejus corpus, ne a piscibus devoretur ac postremo deferunt eum in profundum quasi ad sepulcrum. Confirmant elephantes quorum unus magistrum et altorem suum contra insidiatores diu frustra defensum, posteaque occisum, proboscide involvit, et delatum in spelæum suum operuit, apud Pier. l. I. hiero. Aldrov. et alios. E contra non impune tulit Jason, quod multos homines insepultos abjecisset; ipse enim: *Et illamentis et insepultus abjectus est, sepultura neque peregrina usus, neque patrio sepulcro participans,* ut dicitur II. Macch. V. Athenienses quoque decem suos imperatores militum, et quidem a pulcherrima victoria venientes, capitali judicio exceptos necarunt, quod multorum corpora militum sepulturæ mandari non curassent, apud Val. Max. l.